

De Constitutivo Essentiæ divinæ?

57

sit positivum quod dicitur a se, id, quod nihilominus importatur per vocem illam, est negativum: Essentia autem non in nomine, sed in eo, quod per nomen importatur, consistere debet: ergo formaliter in negativo consisteret. III. Sequeretur, quod Filius non esset Deus, quum non sit a se, sed a Patre; neque Spiritus Sanctus, quum sit a Patre, & Filio. Si Adversarii respondent; Verbum, & Spiritum Sanctum, non esse ab alio, tanquam a causa, sed tanquam a principio; vel non esse ab alio in essentia, sed in relativa perfectione, quæ est ab alio, tanquam a principio, & non a causa: Nec quidem per hanc responsionem rationi adæquato occurruunt; quia omne, quod est in Deo, debet rationem constitutivi essentiae participare, sive sit natura, sive sit relatio; & aseitas, quum dicat omnimodam independentiam, debet etiam independentiam importare, & a principio, & a causa. IV. Aseitas dicit in Deo solam perfectionem in genere essendi: ergo non est attributum totaliter explicans essentiam Dei, quæ consistit in omni perfectione; argui sic debet esse prædicatum constitutivum essentiæ divinæ: ergo aseitas non est prædicatum divinæ essentiæ constitutivum. Et quanvis quodcunque attributum, quod est in Deo, sit etiam a se; hoc tamen non importatur per aseitatem; quia aseitas ex se tantum dicit independentiam in essendo; adeoque in uno genere tantum; quanvis cætera, quæ sunt in Deo, sint etiam independentia, sed in aliis generibus.

Arguunt Adversarii I. ex Scripturis. Exodi 3. 14. dixit Deus ad Moysem: Ego sum, qui sum; si dices filii Israël: qui es, misit me ad vos. Atqui hoc, quum sit nomen a Deo ipso fibimur impostum, oportet, ut sit sua divinæ essentiæ constitutivum, & explicativum. II. ex Patribus, qui hanc considerationem faciunt, & firmant. Ambroso in psal. 43. Non respondit nomen, sed negotium; hoc est rem expressit, non appellationem, dicens: Ego sum, qui sum; quia nihil tam proprium Dei, quam semper esse. Hilario lib. 1. de Trinit. c. 5. Admiratus sum tam absolutam significationem, quæ naturæ divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loquuntur; non enim aliquid magis proprium Deo, quam esse intelligitur. Augustino in ps. 134. Non dixit Dominus sic: Dices filii Israël, qui es omnipotens, iustus, misericors, misit me ad vos; sed, sublatis aliis nominibus, ipsum esse vocari voluit; tanquam hoc sit proprium

PAR. I.

nomen ejus essentiam significans. Bernardo lib. 1. de considerat. c. 6. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est; nempe hoc est ei esse, quod hac omnia esse; si & centum talia addas, non recessisti ab esse; si ea dixeris, nihil addidisti; sed non dixeris, nihil minuisti. III. ex Rationibus. I. Per aseitatem distinguitur Deus ab omni eo, quod non est Deus: ergo aseitas est suæ divinæ essentiæ constitutivum. Probatur antecedens. Per aseitatem distinguitur a creaturis; sed omne aliud, quod non est Deus, est creatura: ergo per aseitatem distinguitur Deus ab omni eo, quod non est Deus. Probatur major. Creaturæ sunt dependentes: ergo per aseitatem distinguitur Deus a creaturis. II. Creaturæ ideo est creatura, quia est dependens, non vero quia est finita: ergo Deus ideo est Deus, quia est a se, non quia est infinitus. III. Aseitas est primum prædicatum inter omnia alia Dei, excepta ratione entis, quæ in conceptu aseitaris involvitur, & non e contra; ergo ipsa est constitutiva, & distinctiva Dei.

Respondemus ad Scripturas, illas intelligi de perfectione Dei in essendo, in quo Deus unicus est perfectissimus; sed ultra hanc perfectionem, Deus habet omnimodam rationem perfectionis, seu rationem omnimodæ perfectionis, quæ quidem antecedit in nostro conceptu rationem talis perfectionis. Et quia Moyses non debebat filiis Israel lectionem facere de essentia Dei, sed tantum dicere de Deo id, quod illis poterat notius esse, de illa perfectione loquutus est Deus, quæ, quum sit in genere essendi, notior, & manifestior est hominibus; non per hoc tamen intendit, quod in hac una, & tali perfectione ratio omnis perfectionis, aut continetur, aut comprehendetur. Ad Patres eadem adhibenda est responsio; quatenus scilicet expendentes illam perfectionem, quam verbis illis, quibus Deus Moysen alloquebatur, manifestavit, eandem, putaverunt, notiorem esse, propriorem, & prænitiorem, in Deo, sed tamen respectiæ, non absolute; respectu scilicet illarum perfectionum, justitiae, omnipotentiae, magnitudinis, bonitatis, sapientiae, misericordie, &c. quæ non sunt in Deo in ratione essendi, sed in ratione operandi. Et quia ratio essendi est prior, ideo illa perfectione usus est Deus, & illam expenderunt SS. Patres, potius quam alias, quæ in ratione operandi consistunt. Non autem per

H

hoc